

- 3308
- 166 Intellectus ad textum in l. 4. de Petit. her.
- 167 Differentia inter petitionem hereditatis, & inter remedium quorum bonorum?
- 168 Interdictum uti possidetis quid sit? & pro quibus competat?
- 169 Si possidet vi clam, vel precario, an ei competat istud interdictum uti possidetis?
- 170 Contra quas personas competat istud interdictum uti possidetis?
- 171 Si reus conventus isto interdicto uti possidetis nunquam molestavit actorem an actori competat istud interdictum?
- 172 An istud interdictum competat pro quasi possessione annua præstationis?
- 173 Quid debeat petere & concludere actor, ut obtineat in hoc interdicto?
- 174 Quid debeat principaliter actor probare in hoc interdicto?
- 175 Quis sit effectus & natura hujus interdicti?
- 176 An reus condemnatur ad interesse in hoc interdicto?
- 177 Si actor intentavit istud interdictum, & reus fuit absolutus, & postea reus molestavit actorem, an ad hoc possit iterum intentare istud interdictum?
- 178 Si hoc interdictum intentatur, & uterque litigantium præendit se possidere, qualiter iudex proferat sententiam?
- 179 Si uterque litigantium probat se possidere in solidum eodem jure possidendi per testes omnino æquales numero & dignitate, & de æquali tempore possessionis, quid faciat iudex?
- 180 Quid sit interdictum recuperanda, & effectus ejus?
- 181 Quid requiratur ad hoc ut competat istud interdictum recuperanda?
- 182 An agenti interdicto unde vi obstat exceptio dominii?
- 183 Spoliatus quod ante omnia sit restituendus.
- 184 Spoliatus an sit restituendus, si sit absens?
- 185 Istud interdictum an transeat ad heredes & contra heredes?
- 186 Interdictum unde vi an detur contra particularem successorem?
- 187 Quando intenditur remedium leg. Si quis intantam. Cod. Unde vi.
- 188 Remedium l. fin. Codic. Unde vi, quando competat?
- 189 An lex fin. Cod. Unde vi, procedat tam

- in re mobili, quam in re immobili?
 - 190 Quando possit possessor de facto resistere ei qui dicit se spoliatum esse sua possessione?
 - 191 Interdictum unde vi, an competat pro rebus incorporalibus?
 - 192 Si res, quam ego antea possidebam, reperitur penes alium, an per hoc videatur quod ille possidet vitiose vel clandestine?
 - 193 Qualiter probetur possessio?
 - 194 An in iudicio possessorio admittatur appellatio?
- N**Ota singulariter ex ista lege, quod in rebus majoratus, mortuo possessore vel detentatore majoratus, ipso jure transit utraque possessio, tam civilis, quam naturalis, in sequentem successorem, sine aliquo actu, vero vel ficto, licet penes alium tertium sit possessio in vita possessoris vel detentatoris majoratus.
- Pro cuius perfecta declaratione dico & præsuppono, quod aliud est Dominium, aliud est Detentatio, aliud Possessio, Dominium, attentato jure primævo naturali post creationem mundi & generis humani, nulli quærebatur, sed ratione simplicis usus bona erant communia: postea verò de jure gentium, quod vocamus naturale, secundarium; divisa & distincta sunt dominia rerum immobilium, quæ in communi possidebantur; & quæ postea de novo inveniebantur, vel apprehendebantur, efficiebantur occupantis: mobilia verò, quæ Cælo, Terra, Marique capiebantur, de utroque jure efficiebantur occupantis; text. est in cap. Jus naturale, & in cap. Jus gentium, in distinction. textus in cap. Dilectissimis. caus. 12. quest. 1. textus in leg. 1. ff. de Acquir. rer. dom. text. in leg. 1. ff. de Acquir. poss. text. in leg. Ex hoc jure. ff. de just. & jur. text. in §. 1. & in §. Singularium, & in §. Fere cum aliis, instit. de rerum division. textus in leg. 10. cum plurib. aliis, tit. 28. 3. part. & ita tenet & declarat Paul. de Castr. in dict. leg. Ex hoc jure. ff. de Just. & jure. 6. column. in fin. dicens, sic ab alio non esse dictum, nec investigatum, sed ante ipsum ita voluit ibi Alberic. 2. column. num. 4. & DD. antiqui, tenet etiam & declarat Innoc. in cap. Quod super. de Voto, & ibi Hostiens. Joan. Andr. & alii DD. idem Hostiens. Joan. Andr. & communiter DD. in cap. de Summa Trinit. & Fide Cathol. tenent etiam DD. in dict. leg. 1. ff. de Acquirend. posses. (A)

(A) Non solum pisces, sed & ea quæ in mari projiciuntur: quæ, cum plerumque jactata præsumantur derelinquendi animo, occupantis fiunt, nec furti actione tenebitur, text. in l. Falsus 44. §. factum. ff. de Furtis, præterquam, si is qui bona jactavit, animum derelinquendi ea non habeat, ut puta, si propter tempestatem levandæ navis gratia projiciat; quo casu dominium eorum apud

2 Ex quo subtiliter potest inferri, quod hodie istud jus potest servari & practicari in terris & bonis immobilibus vacantibus & à nemine occupatis; nam si reperiantur aliqua bona immobilia vacantia, quæ non reperiuntur ab aliquo possessa, statim fierent occupantis, ita tenet & determinat Aretin. in dict. leg. 1. ff. de Acquirend. posses. 1. col. 2. notabil. idem Aretin. in leg. Rem quæ novis, eod. tit. 1. col. idem Aretin. dicens se ita consuluisse Mantuæ, in consil. 15. 2. col. & ante ipsum tenet Bald. in rubr. extra, de præscript. 2. column. num. 6. contrarium tamen tenet Socin. in dict. l. 1. ff. de Acquir. posses. 3. col. in med. Imò, quod postquam bona immobilia & dominia eorum fuerunt de jure gentium divisa & appropriata, præsumuntur esse in dominio alicujus, & non vacantia; & non reperto domino particulari, censentur esse illius Civitatis, Villæ, vel Castri, in cuius territorio, & jurisdictione sunt sita; & ex hoc videtur fundata intentio illius Reipublicæ, per fundamenta & rationes de quibus ibi per eum, & idem tenet & sequitur Jas. & istam opinionem sequor in tam dubio passu, quia videtur verior & securior in conscientia & justitia. Quibus addo, quod esset notabile dubium, si talia bona non essent in territorio, & intra limites illius Reipublicæ, sed ita longè, quod non possit discerni an sint in territorio hujus Reipublicæ, vel alterius, quia tam inæqualiter distant ab uno, quam ab alio, & omnium sunt æquè proxima, & ultra quam Civitas vel res publica præendit esse in dominio & territorio ejus: In quo articulo dico & teneo, quod si possit constare & probari, cui loco Civitati, vel Reipublicæ magis adhæreat; illi adjudicabitur; si verò non possit constare nec probari, tunc pro æquis partibus adjudicabitur utrique Civitati vel Reipublicæ; argumento textus singularis in proposito, in leg. Adeo. §. Insula. ff. de Acquir. rer. dom. text. in leg. 1. §. Si insula. ff. de Flumin. text. in §. Insula, Instit. de rerum divis. & in terminis ita tenet Bald. in cap. Cum causam de probat. 2. col. Joan. de Plat. in dict. §. insula Instit. de rerum divis. post Dyn. quem alii

gât: Confirmatur etiam ex sententia Bartol. & commun. in l. Si duo. ff. Uti possidetis, fin. column. ubi dicit, quod quando plures habent & possident æqualiter aliquam rem, vel ostendunt titulum æqualem in ea; iudex pronuntiabit, utrumque possidere communiter, & æqualiter ad eos pertinere in proprietate & possessione & jurisdictione.

3 Postea verò, de civili positivo, illa constitutio juris naturalis & gentium circa ea quæ Cælo, Terra, Marique capiuntur, remanet intacta & confirmata; quia etiam hodie fiunt occupantis, cum ante in nullius bonis sint; text. est in dict. leg. 1. ff. de Acquir. posses. text. in leg. 1. & per tot. ff. de Acquir. rerum dom. Quod limita & intellige, quando in sua plena libertate capiuntur: secus verò si habeant vel portent aliqua signa contraria, ut personalia, vel similia; quia tunc non fierent occupantis; quia præsumuntur prius ab alio occupata, nec dicuntur pristinam libertatem recuperasse; ita elegantè Bartol. in tract. de Falcon. 1. column. argumento text. in leg. fin. Cod. Unde vi, & facit text. in l. Stigmata, Cod. de Fabricen. lib. 11. text. in leg. penultim. Cod. de Aquæductu, eod. lib. (b) Ex quo etiam deducitur & infertur, quod si quis inveniat pecuniam, vel aliam quamlibet rem mobilem, non efficitur inventoris, imò committit furtum, si animo quærendi sibi acceperit; quia ex qualitate rerum non præsumuntur vacantes, sed in bonis alicujus; unde tunc in conscientia & justitia debent inquirere dominum præconis voce, vel libellum in aliquo loco publico ponendo, vel aliis modis; ita probat text. singularis in l. Falsus. §. Qui alienum. ff. de Furtis, & ibi notant & commendant Bart. Alberic. & communiter DD. Bald. post Antiquos in l. 1. ff. de Rer. divis. 1. lectur. 6. col. n. 21. & 2. lect. 1. column. & domino non invento, tenetur inter pauperes dividere, secundum eosdem.

4 Similiter etiam prædicta constitutio juris naturalis & gentium remansit confirmata circa bona immobilia; & insuper alios actus, contractus, & modos induxit, quibus dominium quæretur; ut per contractum onerosum, vel

apud eum qui projicit remanet, neque occupantis fit; & sine crimine nequeunt occupari text. in l. Quia ratione. §. fin. & in l. Quæcumque 58. tit. proximo, & in l. Interdum 21. §. Quod ex naufragio. ff. de Acquir. posses. & in l. 2. §. fin. l. Quæ levanda. ff. ad leg. Rodi. de factu & in l. 7. tit. 9. part. 5. & vide Bald. in §. fin. inst. de rerum divisione.

(b) Ex quo potest dubitari, si reperiat in aliquo loco servus fugitivus, an præsumatur liber, vel servus, & quid in hoc declarabit iudex? Et crederem, quod in dubio præsumatur liber, si in forma aliorum liberorum reperiat; alias verò, si cum aliquo signo contrario, ut quia sit colore niger, vel cum alio signo particulari, præsumatur servus, & per consequens iudex inquirat de domino ejus; & ita dixi & consului in quæstione de facto.

vel lucrativum, secuta traditione vera vel ficta ut in l. Traditionibus, Cod. de Pactis, in l. Traditio, ff. de Acquir. rer. dom. in §. Per traditionem Instit. de rer. divis. in leg. Quod meo. ff. de Acquir. poss. in l. Clavibus. ff. de Contrahend. empt. in leg. 1. Cod. de Donation. Item, per usucapionem, ut in l. unic. Cod. de Usucap. trans. in leg. 1. per totum, Cod. de Longiss. temporis præscription. in §. 1. & per totum, instit. de Usucapion. Item, per successionem universalem, secuta postea additione, ut in l. Cum hæredes. ff. de Acquir. possess. in leg. 1. & per totum. ff. de Petit. hered. in leg. 1. & per totum, Cod. eod. tit. Item, per restitutionem factam ab hærede gravato, ut in l. 1. per totum. ff. ad Trebell. in l. 1. & per totum, Cod. eodem. titul. Item, per lega-

tum particulare, ut in l. Titio. ff. de Furt. in leg. Si tibi homo. §. Cum servus. ff. de Legat. 1. cum similib. Item, per adoptionem vel arrogationem, ut in l. 1. & per totum, ff. de Adopr. in l. 1. & per totum, Cod. eod. tit. in §. 1. instit. de acquir. per arrog. Item, per ingressum religionis, & professionem secutam, ut in Auth. ingressi, Cod. de Sacr. Eccl. Item, quando quis habet rem pro derelicta, & alius occupat eam, ut in leg. 1. & per totum. ff. Pro derelicto, & in §. penult. Instit. de rerum divis. Item, per contractum onerosum vel lucrativum factum cum Ecclesia, Civitate, vel pio loco, ut in leg. fin. Cod. de Sacros. Eccl. Item, per contractum matrimonii, ut in l. Duco ancillam, Cod. de Rei vindication. Item etiam, per alios similes modos à jure civili inventos & dispositos. (c)

Et

(c) Ergo sine possessione dominium acquiri non potest; quam opinionem defendit Othoman. libro singulari questionum illustrium, questione 11. Contrariam tamen sententiam, videlicet, sine possessione dominium posse acquiri, defendit Gloss. verb. In vacuum, in leg. Cum, Cod. de Distractione pignorum, quam sequitur Bart. in l. Si stipulatus, num. 2. ff. de Usuris, & in l. Celsus, num. 12. ff. de Usucap. ubi Bald. in 2. part. num. 8. & receptam testantur Alciat. in l. 1. §. Traditionibus, num. 20. ff. de Pactis, Aretin. num. 1. Jas. 8. in Rubr. de Acquir. possess. Molien. in consuetudinibus Parisiens. tit. 1. §. 55. glos. 13. num. 13. quæ sententia in puncto juris verior est, ut ex supradictis Auctorum fundamentis colligere licebit. Item etiam quæritur dominium, vel saltem declaratur, per sententiam latam in rei vindicatione; quia si actor prætendat se dominum, & reus conventus possideat, & negavit intentionem actoris, vel licet non possideat, offerat se liti, & dicat se possidere; vel licet hoc non dicat nec asserat, nec sit interrogatus an possideat vel non, simpliciter negavit intentionem actoris, & persecutus fuisset litem, & ex probationibus & actibus processus reperitur probatum dominium, & iudex pronuntiavit sententiam definitivam, quæ declaravit dominium actori pertinere; quancumque postea reus conventus reperitur possidere, illa sententia mandabitur executioni contra eum, ut sine alio novo processu, vel petitione mandetur executioni, & teneatur rem actori restituere; ista Gloss. singularis & unica juncto text. in leg. Si à te, §. 1. secundum 3. lecturam. ff. de Executione rei judicat. quam ibi ad hoc summè notat & commendat Bart. & communiter DD. reputant singularem & unicam Angel. & Paul. de Castr. idem Paulus in l. Si constante, §. fin. ff. Solutio matrim. 2. col. n. 4. idem Paul. in leg. Si hereditate. ff. de Petitione hereditatis, & in leg. Si quo tempore, eod. tit. idem Paul. in l. Cod. de alienat. jud. mut. causa facti, 2. col. Bald. in rub. ff. de Rei vindic. idem Bald. in leg. Cogit. Cod. de Petit. hered. fin. col. idem Bald. in rubr. de Sentent. & Re judicata. idem Bald. in cap. Ex conquestione. de Restitut. spoliat. Angel. de Aretin. in §. Omnium, fin. col. Instit. de action. Alex. in l. Naturaliter. §. Nihil commune. ff. de Acquir. possess. 17. col. num. 139. & alii moderni. Et certè, licet in puncto juris mihi videatur valdè dubia opinio, quia extrema & uniformiter & præcisè habilia & necessaria in rei vindicatione, & validitate processus, & sententiæ ferendæ, sint dominium ex parte agentis, & possessio, vel detentio ex parte conventi, ut in l. Rem action. ff. de Rei vindication. & in l. Qui petitorio, eod. tit. & in leg. 1. Cod. de Alienatione iudicii mutandi causa facti, & in §. Omnium, Instit. de action. & in cap. Reynaldus, verb. Cæterum, de Testament. cum similib. ergo cum isto casu, deficiat extremum passivum, æquè principale videtur non posse procedere; & ita reprobatur Bald. in l. Is qui se obtulit. ff. de Rei vindic. 2. lectur. idem Bald. in l. Licet minimam. ff. de Petitione heredit. idem Bald. in l. Non altas. ff. de Jud. Tamen in dubio sequor communem opinionem, & ab ea non recedo, & ingenium & iudicium meum submitto tot & tam præclaris viris eam tenentibus; & in eam confirmationem satisfacit ratio; quia cum reus conventus responderet petitioni actoris, & litem contestatus est, & extremum, possessionem, in se requisitum, non negavit, visus est se liti offerre, & effici reus, & per consequens validatur iudicium.

5 Et istum dominium sic declaratum de quo loquimur, est Jus de re corporali perfecte disponendi, nisi lex prohibeat: ita probat textus in leg. fin. Cod. de Rebus alien. non alien. textus in leg. Quæ ratione. §. Hæc quoque. ff. de Acquir. rerum domin. textus in leg. Generaliter. §. Sub conditione. ff. Qui & à quibus. textus in leg. Si ita stipulatus fuero. §. Titius in fin. ff. de Verbor. obligat. textus in leg. Sciendum. §. 1. ff. Qui satisd. cogant. textus in leg. In ædibus. §. fin. ff. de Donat. textus in leg. In re mandata. Cod. Mandati. textus in leg. in eo versic. Nemo. ff. de Regul. jur. text. in leg. Id quod nostrum. eod. tit. textus in §. 1. Instit. quibus alien. licet vel non. textus in leg. fin. versic. Sin autem. Cod. de Jure domin. impet. ubi dicit, quod dominium est plenissimum jus rei; quem ad hoc notant & commendat ibi DD. & dicit unicum Joan. Igneus in leg. 1. §. Servus pignori datus. ff. ad Syllan. textus in leg. Unic. Cod. de Nud. jure Quiritium. quem dicit ibi Bald. raro alibi inveniri; Et in expressè istam definitionem ponit Bart. licet ista jura non alleget, in leg. Si quis vir. §. Differentia. ff. de Acquir. poss. & ibi Paul. de Castr. Cuman. Aretin. & Alexand. Bald. in leg. Femina. §. Illud. Cod. de Secund. nupt. ubi dicit, quod de hoc fuit interrogatus à Domino Papa: idem Bald. in leg. In rebus. Cod. de Jure dot. Salic. post Rich. in leg. Traditionibus. Cod. de Pactis. Anchar. in cap. Pastoralis. de causa poss. & propriet. Rip. in rubr. ejusdem tituli. ubi dicit, hanc esse communem opinionem Socin. in consil. 103. 3. column. & istam etiam definitionem expressè ponit & approbat. lex 1. titul. 28. 3. part. Ex quibus deducitur & infertur, quod dominium non est qualitas coherens rei, sicut servitus, nec est idem quod ipsa res corporalis; sed est quoddam jus plenum & totale, coherens personæ producens plures effectus, qui diriguntur in ipsam rem, & ejus possessores: ita subtiliter & fundamentaliter infertur ex superioribus; & expressè tenet Bartol. in leg. 1. ff. de Jurisd. omn. jud. final. column. & ibi communiter DD. Item etiam infertur, quod si duo vel plures habent titulum ab eodem domino, ille præfertur,

cui prius res sit tradita; quia in eum est translatum dominium; ut in leg. Quoties de rei vindic. & ibi communis opinio. Item etiam subinfertur, quod ille qui est dominus rei, potest eam à quocumque possessore vindicare, modo habeat titulum, modo non, mediante actione reali vindicationis, per quam declaratur dominus, & in consequentiam fit restitutio rei; textus est in leg. 1. & per totum. Cod. & ff. de Rei vind. & in §. Omnium. Instit. de action. cum similib. & ibi communiter DD. (d)

6 Aliud dixi, quod est detentatio, & illa nihil aliud est quam: Sola, nuda, & simplex insistentia rei, quæ consistit in facto, ex qua nec dominium, nec possessio aliqua resultat propter qualitatem personæ, vel rei, vel ex ipsa natura actus: puta, si traditur mihi aliqua res, vel ego eam accipio, & est actus per quem non potest causari possessio juridica, certè tunc dico habere nudam detentationem; & illa dicitur nuda & simplex detentatio. Pro cujus perfecta intelligentia operæ pretium est cognoscere actus, in quibus sola detentatio quæritur; & qui effectus resultant ex hoc quod quæritur detentatio sola & non possessio? in quo subtili articulo resolutivè dico, quod primus actus est, quando quis simpliciter tradit alteri suam rem nullo titulo vel causa determinata nec expressa; quia tunc sola detentatio transit in accipientem, adeò quod dominus poterit illam rem petere, vel rei vindicatione, vel iudicio possessorio retinendæ; cum remansit possessor, & non sit translatum dominium nec possessio in accipientem; iste est textus notabilis qui sic potest intelligi in leg. Numquam nuda. ff. de Acquirend. rer. domin. cujus verba sunt, numquam nuda traditio transfert dominium, sed ita si venditio aut aliqua justa causa præcesserit propter quam traditio sequeretur, & illum textum, licet nullus Doctor sic intelligat nec delectet, reperio quod in terminis ita ad hoc eum notat & considerat Raph. Fulg. in leg. Cum quid. ff. Si cert. petat. 2. column. in fin. & Joan. de Imol. in leg. à Titio. 2. column. post med. de Verbor. obligation. & sic tali casu nullus cen-

(d) An autem duplex dominium, directum, & utile; aut unum tantum sit? est controversum; DD. Bartol. in leg. Naturaliter. §. Nihil commune. num. 14. & in leg. Si quis vir. §. Differentia. mm. 5. de Acquirend. possess. Alexand. num. 7. Alciat. in dict. §. Nihil commune. num. 90. Pinell. in leg. 2. Cod. de Bonis maternis. 3. part. num. 11. Sarmient. lib. 3. Selectarum. cap. 2. n. 26. Corras. lib. 6. Miscellanarum. cap. 2. num. 2. Baccón. lib. 3. Declarat. cap. 43. num. 24. existimant duplex esse dominium, directum, & utile; quod ab omnibus est receptissimum, ut dicitur in leg. 68. infra, num. 2. lib. Sed, unicum tantum dominium esse, in puncto juris posset defendi cum Duaren. lib. 1. Actionum in artem reduclarum. cap. 6. Parlador. rerum quotid. cap. 1. §. 2. num. 14. Velasc. de Jure emphyteutico. 1. part. quest. 13.

Anton. Gom. ad Leg. Tauri.

setur etiam tacitus contractus intervenisse. Sed attende, quod ista conclusio est verissima, quod in isto casu sola detentatio transit; Sed non est vera in eo quod dicit DD. dicunt, quod tali casu non censetur gestus aliquis contractus, saltem tacitus; quia imò est, vel depositum, vel alius, ex qualitate rei; ista est Glossa singularis & unica in dict. leg. Cum quid. ff. Si cert. petat. in gloss. penult. quam ibi dicit mirabilem Bartol. & commendant DD. & eam dicit unicam in jure Imol. in leg. Cotem ferro. §. Qui maximos. ff. de Public. vect. 2. column. in med. & in hoc approbatur illa Gloss. in cuius declaratione dicunt ibi Paul. Alexand. Socin. Jas. & communiter DD. quod si fuit tradita aliqua res vel species mobilis, vel immobilis, vel pecunia in sacculo, erit tacitus contractus depositi, in quo sola transit detentatio; si verò sit tradita pecunia incerta, præsuntur mutuum; numquam verò præsuntur donatio, nisi aliqua conjecturæ interveniant, de quibus ibi per DD. & ita debet intelligi textus in dict. leg. numquam nuda, de acquir. rer. domin. nam in quantum dicit ibi textus, quod nuda traditio non transfert dominium, est verum, quando est nuda traditio, id est abstracta à causa, vel titulo habili ad translationem domini; & isto solo respectu est nuda traditio: non tamen negat textus quod intervenit alius titulus vel contractus expressus, vel tacitus, ex quo non resultat acquisitio domini nec possessionis ex qualitate rei traditæ, & secundum superiorem distinctionem: & ita declarat illam legem Socin. in dict. leg. Cum quid, si cert. petat. 6. column. num. 11. & ante eum ista est mens & declaratio Alb. in dict. l. Nunquam nuda. Facit etiam textus juncta Glossa & communi opin. in leg. Cum pater. §. Pa. ex pluribus, de legat. 2. Et istum intellectum & superiorem communem opinionem tenendo, collige & tene primum casum; in quo in accipientem transit sola detentatio, quando fit nuda traditio rei, nullo expresso contractu vel causa inter partes.

8 Secundus casus, in quo sola detentatio transit ex traditione vel apprehensione secuta, est, quando expressè traditur res ex causa vel titulo non habili ad translationem domini; ut si tradatur ex causa commodati, vel ex causa depositi, vel ex causa locationis; textus est in leg. Rei commodatæ. ff. Commodati. textus in leg. Licet versic. Rei depositæ. ff. Depositum. textus in leg. Qui universas. §. fin. ff. de Acquir. posses. textus in leg. Si rem mobilem in princip. eod. tit. textus in leg. Si id quod. ff. eod. tit. textus in §. Possidere. versic. Per eos quoque, Institut. de interdicitis. text. in leg. Male agitur. Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor. text. in leg. final. Cod.

de Acquirend. posses. textus optimus in leg. Officium. ff. de Rei vind. textus in leg. Non solum. §. Quod vulgo, de usucap. versic. Quanto magis. textus in leg. 2. tit. 3. 5. part. Quibus casibus dominium & utraque possessio est penes dominum, sola verò detentatio penes commodatarium, depositarium, colonum, vel inquilinum: Cujus ratio est; quia traditio tantum fuit facta ad usum vel custodiam, & non respectu alterius plenæ acquisitionis; ita Odo. in dict. leg. Rei commodatæ, & ibi Angel. de Perus. Facit etiam text. in leg. Cum inquilinus. ff. Uri possidetis, per quem tenet ibi Alberic. quod aliud est habitare, aliud possidere: ex quo infert, quod uxores non videntur possidere domos maritorum in quibus habitaverunt: ex quo videtur mihi dubia decisio Bartol. in leg. penultim. in fin. Cod. de Pignor. actio. de quo articulo latius suo loco dixi.

Tertius casus, in quo sola detentatio transit in accipientem, est, quando utraque possessio rei est occupata, modo per ipsum dominum, modo per alium quemlibet possessorem rei & utramque possessionem retinet, quia est præsens, & sic est in ipsa, vel dato quod non sit actualiter in ea, est in conspectu, vel est prope rem, taliter quod citò posset ingredi; quo casu utramque possessionem dominus vel possessor retinet, argumento textus in leg. 1. §. Si jusserim. ff. de Acquirend. posses. & in leg. Quod meo. §. Si vendit. eod. tit. & in leg. Clavibus. ff. de Condit. empt. quibus probatur, quod per visum vel aspectum rei, vel traditionem clavium prope rem, acquiritur possessio, ut infra latius dicemus; ergo melius, postquam est acquisita, retinetur & conservabitur, argumento textus in leg. 1. §. Quod autem ait prætor. ibi: Nam cui damus, &c. ff. de superfic. textus in leg. Invitus. vers. 1. ff. de Regul. jur. bonus textus in leg. Papinianus. §. Si filius. ff. de Inoffic. test. text. in leg. 3. §. Bonorum. ibi: Retinendique &c. ff. de Bon. posses. textus in leg. Patre furioso de his qui sui sui vel alien. & ex isto fundamento, licet sic inducto, istam conclusionem tenet Glossa ordinaria in leg. 1. ff. de Acquirend. posses. in glossa 2. in med., versic. Sed quid si non est in conspectu? quam Gloss. & ejus conclusionem approbat ibi Bartol. final. column. in med. versic. Unde quarto loco, &c. ubi dicit, quod Glossa loquitur perfectissime, cui nihil est addendum, Paul. de Cast. ibi 2. column. prope fin. dicens esse mentitum tenendum; & sequitur ibi Alexand. 9. column. num. 34. Socin. ibi 8. column. in fin. Cuman. ibi fin. column. in med. & Vicent. ibi num. 106. Cuman. in leg. Clam. possidere. §. Qui ad nundinas. eodem tit. 3. column. post princip. & ibi Jason. 2. column. in princip. & ibi Ludov. Roman. in prin-

princip. & istam conclusionem expressè tenet Cardin. in capit. Olim, el. 1. 3. column. de Restitut. spoliar. & sic ista est communis opinio ex qua datur vera intelligentia & declaratio ad textum in leg. Clam. possidere. §. Qui ad nundinas. eod. tit. ubi habetur, quod absens perdit naturalem possessionem, & retinet civilem: Nam debet intelligi, quando est longè absens; secus verò si in conspectu vel prope; quia nullam perdit, isto ergo casu, si alius, quam ille possessor, tradit alteri illam rem, modò cum titulo vel causa, modò sine ea, vel sua autoritate ingrediat, nullam acquirit possessionem, sed tantum detentationem.

Quartus casus, in quo sola detentatio transit in accipientem est, quando utramque possessionem habeo mediante persona alterius, ut procuratorem, tutorem, colonum, inquilinum, filium vel servum; quo casu, etiam eis existentibus in absentia rei, retineo utramque possessionem; textus est in leg. Si colonus. ff. de Acquir. posses. textus in leg. Si id quod. §. 1. eod. tit. textus hodiè expressior in leg. fin. Cod. eod. tit. Glossa ordin. in leg. 1. in gloss. 2. post medium. vers. Si autem. ff. eod. & utrobique communis opinio. Isto ergo casu, si fortè res occupetur ab aliquo, vel per alium sibi tradatur, nulla possessio transit in accipientem, sed tantum sola nuda & simplex detentatio.

Quintus casus, in quo sola detentatio transit in accipientem est, quando utraque possessio est penes duos, quia unus habet civilem, alius naturalem; ut in eo qui est ingressus naturalem vacantem, retenta civili possessione per alium in absentia; vel in proprietario & fructuario, vel in precario rogante, vel in similibus casibus; ut in leg. Clam. possidere. §. Qui ad nundinas. ff. de Acquirend. posses. in leg. Naturaliter in princip. eod. tit. in leg. Habet. §. final. versic. Placet. ff. de Precario; Nam in his casibus, & similibus, si dicta res occupetur per aliquem tertium, vel sibi traditur ab alio, quam à possessore, sola transit detentatio, & non possessio aliqua, cum utraque sit occupata.

Sextus casus, in quo sola detentatio transit in accipientem, erit hodiè in terminis hujus leg. 45. qua cavetur, quod in successorem majoratus transit possessio, mortuo possessore, quia si alius tertius apprehendat vel ingrediat rem, vel ab alio tradatur cum titulo, vel sine titulo, non acquirit possessionem, sed nudam detentationem.

7 Septimus casus, in quo sola detentatio transit in accipientem, est, quando iudicis autoritate causa custodiæ, indemnitatis, vel causa rei & juris sui conservandi traditur aliqua res; ut quia creditor missus est ex primo decre-

to in possessionem bonorum debitoris, quia citatus est, & non comparet in iudicio ad se defendendum; ut in leg. 1. & per totum titulum. ff. Quibus ex caus. in possess. eatur, & Cod. de Bonis auctor. jud. posses. maxime in Authentic. & qui jurat. eod. tit. traditur plenè per Bartol. & DD. in leg. Si finita. §. Julianus. ff. de Damnat. infect. Vel quia legatarius in diem, vel sub conditione, vel purè, quando mora iudicii intervenit, mittitur in possessionem bonorum hereditatis, si sibi non satisfacatur per heredem de legato præstando; ut in toto titulo. ff. & Cod. ut in possessione legatorum. Vel quia mulier ventris nomine mittitur in possessionem bonorum defuncti; ut in toto titulo. ff. de Venire in possessionem mittendo. Vel quia ex eo quod non præstatur cautio damni infecti, mittitur quis in possessionem domus ruinosa; ut in leg. 4. §. 1. & in leg. Si finita. §. Ex hoc edict. & per totum. ff. de Damn. infect. Quibus casibus, talis missus non consequitur possessionem rerum, sed tantum nudam detentationem. Iste est casus expressus, & ibi Alber. & communiter DD. in leg. Cum legatis. ff. Quibus ex causis in possess. Cujus verba sunt; Cum legati, vel fideicommissi servandi causa vel quia damni infecti nobis non caveatur bona possidere prætor permittit, vel ventris nomine in possessionem nos mittit, non possidemus, sed magis custodiam rerum & observationem nobis concedit. textus in leg. Is cui. ff. Ut in possess. legatorum. textus in leg. 3. §. Genera. versic. Quod autem, ff. de Acquirend. posses. textus in leg. Si ante. versic. Denique. eod. tit. textus in leg. Si duo. §. Creditores. ff. Uti possid. textus in leg. 1. §. Quod ait prætor. versic. Quæritum. ff. Quorum legat. textus in leg. 2. ff. Pro hered. in princip.

10 Octavus casus, in quo sola detentatio transit in accipientem, & non possessio, est, quando persona recipiens non est capax possessionis, sed tantum nudæ detentationis; ut puta, servus cui res tradita est; quia tantum habet nudam detentationem: Textus est notabilis in leg. Quod servus. ff. de Acquirend. posses. & ibi Glossa Bartol. & communis opinio; textus in leg. Stipulatio ista. §. Hac quoque. ff. de Verbor. obligation. & ibi DD. Quod tamen intellige, quando servo tradita esset talis res ex injusta causa; secus si ex iusta; quia tunc statim substantia possessionis ipso jure quæritur domino, sicut quæritur dominium & obligatio, ut concludit Bartol. Paul & communis opinio in dict. leg. Quod servus. Pro qua sententia est casus in leg. Si id quod. §. 2. ff. de Acquir. posses. textus in leg. 1. §. Item acquirimus. eod. tit. textus in leg. fin. Cod. eod. tit. & tunc etiam penes servum est sola detentatio; & idem est in filio-

familias, & in monacho, & in eis per quos possumus acquirere, secundum Paul. & DD. in *dict. leg. Quod servus*. Confirmatur; quia tales personae capaces sunt facti, ut in §. *Sed cum factum*. Institut. de stipulat. servor. & in *leg. Qui haeredi de condit. & demonstrat.* ibi: *Quia quae facti sunt non transeant ad dominum.*

11 Et adde, quod effectus maximus resultat ex hoc, an solum detineat, vel possideat? Quia si quis solum habet detentationem, non potest usucapere, nec praescribere, ut in *regula sine possessione, de regulis juris*. Item, non competunt sibi aliqua remedia possessoria: Unde, si talis detentator per vim expellatur de possessione, non habet remedium recuperandae Unde vi, quod datur possessoribus; textus est in *leg. 1. §. Dejicitur. ff. de Vi & vi armat.* & ibi Bartol. Alber. Angel. & communiter DD. Similiter, si talis detentator turbetur vel molestetur in sua detentatione, non habet remedium possessorium retinendi *Uti possidetis*, ut defendatur a turbatione vel molestia; quia illud solum competit possessoribus; textus est in *leg. 1. in princip. ff. uti possid.* textus in §. *Interdictum autem ead leg.* textus expressior ceteris, in *leg. Si duo. §. Creditores eodem titul.* cujus verba sunt: *Creditores missos in possessionem rei servandae causa, interdictio uti possidetis uti non posse, & merito, quia non possident. Idemque & in ceteris omnibus, qui custodia causa missi sunt in possessionem, dicendum est.* Ex quo dicebat Rosfred. in *lib. sup. in rub. de actione ex conduct.* quod tali casu nullum remedium datur colono vel inquilino contra turbantes, vel violentos possessores; ut defendatur in sua detentatione: argumento text. in *leg. Cum in plures. §. Messem. ff. Locati, & in leg. 2. versic. 2. ff. ad legem Rhodiam, de Factu.* Vel potest dici, quod ille qui missus est in detentationem causa custodiae, habet remedium tituli: *Ne vis fiat ei*: ita Faber. in §. *Retinende de interdictis. 2. column. 4.* & ibi Angel. 2. column. num. 2.

12 Vel potest etiam dici, quod licet talis detentator non habeat aliqua remedia possessoria, ut dictum est; tamen, si expellitur de sua detentatione, vel turbatur in ea, habet officium judicis nobile, ut restituatur sua detentatio, vel non molestetur in ea: ita probat textus singularis in *leg. Aquilius Regulus. ff. de Donat. in fin.* ibi: *Quod si expulsus Nicostratus, &c.* ubi Aquilius Regulus juvenis concessit Nicostrato magistro suo facultatem habitandi in certa domo vel coenaculo; & mortuo Regulo, contra versiam & molestiam patiebatur magister, & tandem expulsus fuit; & dicit textus, quod per judicem defendendus est, quia sit loci possessoris; & ad hoc eum ibi notat Bart. in *fin.* juncta Glossa

etiam Bartol. ubi reputat quotidianum, in *1. Rem quae nobis. 1. col. post princ. de acquirend. possessione.* Quarto, pro ista sententia & conclusione allego Gloss. expressam meliorem de *jure in 1. Et ideo. §. Neratius, in gloss. fin. ff. de Condit. furt.* ubi in expresso istam conclusionem tenet; quam ibi notant & commendat Bart. Bald. Paul. Salycet. Fulg. & communiter DD. Quinto, pro ista sententia facit bonus text. in sui generalitate, in *1. Illicitas, in princip. ff. de Offic. praesid.* cujus verba sunt: *Illicitas exactiones & violentias factas & extortas metu, venditiones & cautiones, vel sine pretii numeratione prohibet praeses provinciae, quem pro ista sententia allegat & considerat Salycet. in dict. 1. Et ideo. §. Neratius, prope fin. in dict. 1. Manifestissimi. §. Eum in secundum.* Sexto, pro ista sententia & conclusione facit aequa & communis ratio, quae habet, quod cum jactura alterius nemo debet locupletari, ut in *1. Nam hoc natura. ff. de Cond. indeb. & in regul. jure natura. ff. de Regul. jur.* quod esset, si detentator privetur injuste commodo vel usu suae detentionis.

13 Limita tamen & intellige hanc communem conclusionem, quando dominus verus rei esset absens, & faciliter non posset agere in judicio: secus vero si sit praesens; quia nullo modo posset agere iste detentator; ita Salycet. in *dict. 1. Et ideo. §. Neratius, in fin. de condit. furt.* idem Salicet. in *dict. 1. Manifestissimi, §. Sed cum in secundam, Cod. de Furtis*, argumento text. in *1. Cum in plures. §. Messem. ff. Locati*, & in expresso idem tenet Fulgos. in *dict. §. Neratius, post princ.* Sed salva eorum pace, non videtur vera ista opinio & limitatio, imò quod indistincte habeat officium judicis, cum indistincte loquantur praedicta jura. Nec obstat text. in *dict. §. Messem.* Quia ibi non detentabat colonus fructus illius substractos, idem dominus debet agere. Vel secundò, quod ibi voluit agere colonus contra dominium locantem, tanquam sibi obligatum ut agat contra subtrahentes; non tamen negat, quod possit ipse agere officio judicis (si velit) eo casu quo detentat.

Intellige tamen & declara superiorem communem opinionem, ut procedat quando res pervenisset ad alium cum vitio, puta, ex furto, vel violentia, vel forte vacantem rem occupabit; alias autem non competet detentatori aliquod jus vel remedium advocandi detentationem, sicut nec possessori competet, quando non haberet dominium, vel titulum; ita Ang. in *dict. leg. Non tantum. ff. de Petit. haered.* & Bald. in *1. Item videndum. §. Nunc videamus, 1. col. eod. tit.* nisi eam haberet ab

ipso vitioso possessore; ita singulariter Bart. in *dict. 1. Manifestissimi. §. Sed, cum in secundam, Cod. de Furtis, 2. col. num. 5.* qui ita intelligit Gloss. in *1. 2. Cod. de Furtis*, & per eam ita tenet ibi Bald. Paul. & ceteri DD. in *dict. 1.* In quo tamen articulo resolutivè dicitur, quod in casibus in quibus possessori datur aliquod remedium possessorium, in isdem detentatori dabitur illud judicis officium pro sua detentatione recuperanda vel conservanda: istam notabilem doctrinam ponit Ang. de Perus. in *dict. 1. Manifestissimi. §. Sed cum in secundam, Cod. de Furtis, 2. col. in fin. vers. Detentatori autem.* Et quando possessori competant dicta remedia possessoria, & quando non? vide singulariter & melius quam alibi in jure per Bart. Paul. Jas. & melius quam per alium in toto jure per Socin. in *leg. Rem quae nobis. ff. de Acquirenda possessione.*

14 Extende tamen superiorem communem conclusionem, quae habet, quod detentatori datur officium judicis pro sua detentatione recuperanda vel conservanda, ut procedat etiam in detentatione alicujus juris incorporalis, ut puta, si quis tantum detentat aliquem usum servitutis, non vero ipsum jus servitutis: ita probat textus singularis secundum verum intellectum, in *leg. de Usu aquae. ff. de Variis & extraordinar. cogn.* quem ad hoc reputat ibi singular. Bartol. & expressè per illam l. ita tenet Speculator. in *tit. de Offic. omnium jud. §. 1. 3. col. vers.* Item imploratur loco principalis actionis: idem Specul. in *tit. de Causa possession. & propriet. §. Privata: Authent. interdicta, 7. col. n. 19. vers. Sed & si me habentem usum, &c.* Et ex superioribus inferitur, quod talis detentator posset propria autoritate destruere opus vel aedificium factum in re, quam detinet: & in expresso probat text. in *leg. 1. Cod. Ut nemini liceat sine licentia principis signum imponere*, & ibi communiter DD. & tenet Bart. & comm. DD. in *leg. 1. §. Nuntiatio, de oper. novi. nuntiat.* ubi reputat singular. Roman.

15 Item quæro, an ista detentatio facti retineatur animo iu absentia; sicut retinetur sola civilis possessio, vel sola naturalis? In quo subtili articulo dico, quod videtur quod retineatur animo, & operetur eosdem effectus, quos operaretur, si detentator esset praesens; & hoc quando detentatio est justè quæsitâ judicis autoritate, vel ex licito contractu partium. Ita probat text. singularis & genericus in *leg. Si finita. §. Si quis metu. ff. de Damn. infecto*: ubi, si missus in possessionem ex primo decreto ex causa damni infecti, discesserit de re, & sit absens animo non deserendi rem, retinet jus suum, quod habet in ea, perinde ac

si